



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quinam in genere possint præscribere, vel non: & adverùs quos
possit præscribi, vel non?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nisset (nisi per Iudicem in integrum hic restitueretur) ut docent communiter omnes, juxta varios Juris, & Glossæ textus, & si per errorem pristino Domino restituat, tanquam indebitè datum repetere posse, & ut suam vindicare.

§. II.

Quinam in genere possunt præscribere, vel non: & adversus quos possit præscribi, vel non?

Cum usucapio sive præscriptio sit modus acquirendi dominij, consequenter possunt omnes præscribere, seu usucapere, qui sunt capaces acquirendi dominij, ita ut etiam furiosus, aut amens, vel alio ex capite usu rationis destitutus inchoare quidem taliter constitutus usucapionem non possit, possit tamen continuare eam, si cæpta sit, dum esset sanæ mentis; cum taliter constitutus non desinat possidere, quod sanæ mentis possidere cæperat. Precario tamen rem possidens, usufructuarius, creditor rem pignori sibi datam, & universim, qui non possident suo nomine, usucapere, vel præscribere non possunt, uti nec Clerici bona suorum beneficiorum, cum vel legitima eis possessio desit, vel incapaces sint dominij sibi acquirendi, vel quæ bona habent, canonicâ institutione obtinere debent, sicuti autem non omnes præscribere qualibet possunt, ita contra personas aliquas certas præscribi non potest, quæ scilicet in iudicio stare, agere, iura sua tueri, vel bona administrare non possunt, uti sunt pupilli, filii familias, in certis quibusdam bonis, capitivi, Ecclesiæ vacantes &c.

Pirhing. Compend.

§. III.

Quæ res præscribi possunt, vel non possunt?

Regulatiter omnes quidem res corporales, sive mobiles eæ sint, sive immobilis; præscribi, seu usucapi possunt, nisi legè aliquâ aut speciali ratione prohibeantur: res verò incorporales, uti sunt jura, servitutes, actiones &c. sicuti propriè possideri non possunt; sed tantum quasi possideri dicuntur, ita propriè nec præscribi: Sunt tamen aliqua quæ præscribi omnino non possunt, sic primò res quæ in hominum commercio non versantur, & in nullius dominio sunt, uti sunt res sacræ, liber homo, ut fiat servus, res publicæ, quæ ad publicum usum sunt deputatæ, viæ publicæ, ac plateæ publicæ nullo unquam tempore præscribi possunt, etiam si populus illis uti desinat, quia hæc, quæ sunt omnibus communia, à nemine privato possideri propriè possunt. Secundò res furtivæ, vel vi expulsi vâ possessæ, seu occupatæ præscribi nequeunt, etiam à bonæ fidei possessore tempore ordinario (quamvis tempore extraordinario à bonæ fidei possessore præscribi possint) & nisi prius vitium rei furtivæ, vel violenter occupatæ, purgatum fuerit, per hoc, quòd ad legitimum Dominum suum redièit, vel nisi à bonæ fidei possessore res talis distraeta ad tertium pervenerit, quo in casu res quidem aliena non tamen furtiva distrahitur, cum hic non animo furandi, aut legitimo Domino rem suam subtrahendi, quod ad rem furtivam requiritur, distraxerit rem talem. Fructus tamen ex re tali furtiva percepti, ordinario etiam tempore

Z z

præscri-